

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

VI. Propos (De Peloponeso)

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

instauravit Iphitus Rex Elidis, ab Heraclidarum stirpe oriundus. *V. Phlegontis Tralliani fragmentum de Olympiis, edit. Meursianae p. 137.*

§. IIX. Etsi autem Olympiades multo sunt antiquissimæ, tamen computatio, quæ per rationes Olympiadum instituitur, serius adhibita, atque usu historicorum recepta est, quod primi antiquissimique Græciæ scriptores confirmant, atque inter hos imprimis Herodotus et Thucydides, qui Olympia quidem commemorant, sed rationibus per Olympiadas confectis non utuntur.

§. IX. Postea vero, quam victorum, qui Olympionicæ dicti sunt, nomina in tabulas referri coeperunt, certamina multis inde a prima origine seculis consignata sunt, atque adeo Olympionicæ serius, et nonnisi ab instauratione Iphitea, memoriam sui reliquerunt. In quo genere Timæi studium magno pere celebratum est, qui scribendis Victorum Olympicorum nominibus operam dedit. *De quo vid. Polybius, Diodorus et Suidas.*

§. X. Diu vero ante tempora Philippi Macedonis, Olympiades receptæ, et computatæ sunt, ut non fuerit causa, quamobrem Philippus Beroaldus, vix ceteroquin doctus et diligens putarit, omnes temporum rationes ante Philippi Macedonis tempora dubias esse atque incertas.

§. XI. In Creta autem, an in Peloponneso primum instituti fuerint ludi Olympici, contrariis plerique studiis certant. Non assentior V. C. qui existimat, primos in Creta et institutos, et editos fuisse hos ludos.

§. XII. Primum certamen Olympicum initum est anno M. 3208. P. I. 3938. post Troiæ excidium A. 408, ante N. C. 776. cum Athenis Aeschylus, Lacedaemone Alcamenes regnaret. Qui dissentiunt, rationes turbant, et ex ingenio artem computandæ Olympiadis fingunt.

## VI. PROPOS. (DE PELOPONESO.)

**P**eloponnesus, peninsula fertilis, et omni rerum copia affluens, primum antiquissimumque nomen Aegialeæ tulit, quod ab Aegialeo Sicyoniorum Rege additum, usque ad tempora Pelopis retinuit: qui ex Phrygia oriundus, Hippodamiam, Oenomai Pisæ Regis filiam duxit, socioque, non sine dolo, in Olympiis sublato, regnum adeptus, insignem illam Græciæ partem, quæ intra isthmum est, ab nomine suo appellavit. *Eusebius manifesto indicat, dictam fuisse Aegialeam, Chronic. lib. prior. Georgius Syncellus in chronographia, uterque Castoris fragmentum, quod de regno Sicyoniorum inscribitur, secutus. Dubia implicataque est Aegialei historia, quippe quæ præcedit veros certosque Græcorum festos, qui Olympiades dicuntur. Ut nostræ*

rationes sunt, congruit temporibus Beli, atque eius initium respondet anno M. 1890. P. I. 2550. A. C. 2164. Cuius successor filiusque Europeus, cum aetate Nini omnino debet coniungi. Aegialium alii memorant, de quo tradunt Herodotus in Terpsichore, et Pausanias in Atticis. Illi etiam Peloponnesi, qui incoluerunt Achaïam, huius peninsulae regionem, nominati sunt Pelasgi Aegialees, Herodot. lib. VII. c. 94. Interpres exponit littorales, quem Pausanias docere potuit, ab Aegialeo sumtum impostumque fuisse hoc nomen, in Corinthiacis c. 49. Aegialei mentionem fecit Apollodorus, et regionem, cui praesuit, Aegialeam ab eo dictam esse affirmavit, lib. II. principio. Idem auctor est, Apiam et Pelasgiam quoque dici solitam; illius nominis conditorem fuisse quendam Apin, Pboronei filium, huius Pelasgum quempiam indigenam, lib. eodem. Nihil addo de genere et familia Aegialei, sed ad recentiora Pelopis tempora descendo. De Pelope extat antiquissimum sane monumentum, Hecataei Milefii, scriptoris Herodoto prioris, cuius quaedam supersunt velut e naufragio tabulae, ad posteritatis memoriam relictae. Quo argumento scribit Strabo, Pelopem, ducto e Phrygia populo, advenisse in terram, ab eoque Pelopis insulam fuisse appellatam, lib. VII. Geographicorum. Fuit ergo Phryx, non Lydus, ut narrant Pindarus et Pausanias, ille in Olympicis od. i. hic in Eliacis prior. non ex Paphlagonia Hecatus, ut canit Apollonius Rhodius, in libro Argonauticorum II. Suffragatur Herodotus, qui Peloponnesum, regionem Pelopis Phrygia extulit, lib. VII. c. 103. conf. Strabo. Fuit, quod inde sequitur, advena, non indigena, et ut rationes conficio, Hippodamiam duxit anno M. 2704. Ludus Olympicus praesuit anno M. 2731. Ut socerum in certamine Olympico deceperit, regnumque eius adeptus fuerit, Pausanias commemoravit in Eliacis II. Eum ex Asia venisset, et nomen regioni dedisse, tradit Thucydides, sed ex Phrygia, an ex Lydia venerit, non definit, lib. I. bell. Pelopon. Struclam ei postquam ab Hercule aram, Apollodorus refert, lib. II. biblioth. Nam Hercules fuit eius pronepos, et proavi memoriam, fano aedificato, coluit atque consecravit, quod non obscure innuit Pindarus Olympicorum I. Progeniem Pelopis non plene integreque recensuit Ioach. Camerarius in lib. III. explicationis Tusculan. quae est. Tantalus, Pelopis pater, in omnium Graecorum fastis est, a quo sumtum illud commune tritumque proverbium, Tantali Thefauri, quod extat apud Aristacnetum, lib. I. ep. 18. quorsum legatur Eutyphron Platonis. Filii Pelopis clariores Atrous et Thyestes memorantur: praeter hos Alcahus, Pittheus, Hippalemus, Pelops iunior, Dias, Cleon; et Chrysippus ac Plisthenes ex connubio diverso. Inter multas eiusdem filias celebrantur Nicippe Stheneli uxor, et Lysidice Alcmenae mater, de quibus videatur Apollodorus l. cit. Plutarchus in Theseo.

§. II. Isthmo Corinthiaco iungitur Graeciae, et quinque maribus alluitur, Ionio, Siculo, Cretico, Aegeo atque Myrtoo, quae cum navigandi commoditatem praebent, tum loci situ caeteris Graeciae regionibus, praestant.

Dio-

Dionysius Afer platani folio similem depinxit, propterea quod talem se ostendit intuentibus, maxime ob maria, quae ibi se insundunt; a septentrione quidem mare Ionium, ab Occidente Siculum, a meridie Creticum, ab Oriente Aegeum, cuius pars est Myrtoum V. Strabo lib. II. et IIX. Agathemer de Geographia lib. I. Eam cum primis nobilitant sinus Corinthiacus, qui Septentrionem spectat: e regione situs est Saronicus, quem islbmus a Corinthiaco seiungit. Alter, cuius pars est sinus Crissacus, Lechaeo, alter Cenraeis, antiquissimo Graeciae navali, clarus est, monumentisque celebratus. Ab Oriente peninsulam contingit sinus Argolicus, a meridie Laconicus et Messeniacus; Chelonites et Cyparissius ab Occidente ad eam vergunt. Promontoria Rhium (cui obversum est Antirrhium) Scyllaeum, Taenarium, Malca, Chelonates, Araxus. Portus commodi capacesque, praeter dicta Corinthi navalia, in Achaea propria, atque adeo in faucibus sinus Corinthiaci, Patrae, in Elide, Cyllene, in Messenia, Pylus, Methone, Corone: In Argia, Nauplia, in Laconia Epidaurus Limera. Omnes hi portus, excepto Epidaurensi, victricibus occupati armis, Venetorum ditioni parent. Tota haec peninsula quingentorum quinquaginta millium passuum circuitu patet: Isidorus tamen trecentis sexaginta tribus mil. passibus ambitum desinit. Quinque metropoles, duodecim anistitum sacerdotia continet, quae sacra ceremoniasque Graecorum profertur. Pars Graeciae, et arx semper habita est, tam situs loci, quam opportuni aditus ratione. Aestimantur hoc Xerxes apud Herodotum lib. VII. c. 8. Mahometes II, apud Leunclavium. Conf. Strabo lib. VIII. et Geographi recentiores, Quod sane indicium sit imprudentiae et ignaviae Turcarum, qui Peloponnesi urbes portusque negligentius habuerunt.

## VII. AD INSIGNIORES CILICIAE ANTIQUIT: ANIMADVERSA.

Cilicia, extra Graeciam sita, coloniis ex Europa ductis, culta, et Graece locuta, Graecorumque instituta et disciplinam secuta, situ loci finibusque ab aliis Asiae minoris regionibus se distinxit. Herodotus l. VII. Apollodorus biblioth. l. III. In hoc, et similibus scriptoribus, mythica a veris, dubia a certis, praesertim in nominum rerumque originibus discernenda sunt. De Argivorum colonia in Ciliciam ducta legendi Strabo, et Dio Sophista, qui ut de Tarso et Cilicia, sic Cicero de Epheso, et Ionia, alii de aliis Asiae minoris urbibus regionibusque testantur. Dionysius periegetes in descriptione orbis, ibidem Eustatbius in scholiis, Diodorus Siculus l. XIX. Strabo lib. XIV. Pomp. Mela de situ orbis l. I. c. 13. Plinius l. V. H. N. c. 27. Solinus Plinii compilator cap. XLI. Ptolomaeus Geogr. l. V. c. 8. Stephanus de urbibus